

.viii. OMELIA IN NATALE

SANCTI STEPHANI.

Oportet nos disputare fratres karissimi de sancto  
stephano primo apostolorum diacono . septem enim ab ipsis  
ad diaconatus officium electi sunt . qui ministrarent eis . Iste  
igitur stephanus unus ex ipsis erat . et non solum inter eos pri  
matum tenuit . sed etiam apostolos ipsos beata ac triumphali morte  
precessit . et qui erat posterior et inferior ordine . Primus  
factus est passione . et qui discipulus erat gradu . magister  
coepit esse martirio . Et ideo siquid distare inter martyres  
potest . Multa enim signa et prodigia faciebat ipse in populo ;  
Et nemo poterat resistere sapientię et spiritui . qui de ipso  
loquebatur . plenus enim erat diuina gratia et ueritate . Bene  
igitur coniuncta sunt solemnna . domini et serui . Hesterna enim  
die cęlebrauimus temporalem regis nostri solemnitatem . Hodie  
caelebramus sancti stephani passionem . Heri rex martyrum natus  
est . hodie primi ęrius eorum migravit a seculo . Oportebat  
enim ut primo immortalis . pro mortalibus . susciperet carnem .  
et sic mortalis immortalis commendaret mortem . Et ideo  
natus est dominus in mundo . ut moreretur pro seruo . Ne seruus  
postea timeret mori pro domino . Natus est ergo christus in terris .  
/15v/ ut stephanus nasceretur in cęlis . Degressus est dominus in mun  
dum . ut stephanus ingrederetur in cęlum . Altus ad humi  
lia descendit . ut humilis ad alta ascenderet . filius dei  
factus est filius hominis . ut filios hominum faceret fi  
lios dei . Fecit christus miracula . fecit et stephanus . sed christus  
fecit sine stephano ; stephanus autem non potuit quid sine  
christo . Lapidauerunt autem iudei stephanum . inuocantem

deum et dicentem . Adhesit anima mea post te . quia caro  
mea lapidatur pro te . Et cum hæc dixisset genua flexit  
dicens . Domine iesu . ne statuas illis hoc in peccatum . Dominum  
quidem iesum in hoc assecutus est . qui pro suis crucifixoribus  
prius orauerat dicens . Pater agnosce illis . quia nesciunt  
quid faciunt . Oravit quidem christus pro iudæis in ligno affi  
xus . et stephanus spiritum suum domino commendans ; oravit  
pro illorum delictis . et rogauit dominum genibus fixis . amicus  
pro inimicis dicens . Certe ergo seruus tuus patior .  
ego lapidor . in me seuiunt . In me fremunt . sed ne repu  
tes illis in peccatum . quia tu prius dimisisti iudæis . exemplum  
patientiae relinquens nobis . ecce multum interest inter me  
et te . Tu dominus . ego seruus . Tu uerbum . ego auditor uerbi .  
Tu magister . ego discipulus . Tu creator . ego creatus . Tu deus .  
ego homo . Multum interest inter peccatum . istorum  
qui lapidant me ; et illorum qui crucifixerunt te . Et ideo  
pro tua clementia . dimitte eis peccata et facinora sua . Con  
siderate ergo fratres ammirabilem sancti stephani caritatem .  
quia dum lapidaretur quando alius obliuisci poterat etiam  
carissimos suos . Ille domino commendabat inimicos . Imi  
temur ergo fratres in aliquo tanti magistri fidem . et tam  
/16r/ preclari martyris caritatem . Diligamus hoc animo fratres nostros  
in aeclesia . quo ille tunc . dilexit inimicos . sed quod peius est  
non solum inimicos aliquoties non diligamus . sed nec amicis quidem  
fidem integram custodimus . Sed dicit aliquis . Non possum  
diligere inimicum meum . quem cotidie uelut hostem patior  
crudelissimum . Ó Homo qui hoc dicis . attendis quid tibi  
fecerit homo . et non consideras quid tu feceris deo . Cum  
enim tu multo grauiora peccata comiseris in deo . quare  
non dimittis homini parua ut tibi dignetur deus dimit  
tere tota ? Recole ergo quid tibi in aeuangelio ueritas

dicit . Si enim inquit dimiseritis hominibus peccata eorum  
dimittet uobis pater uester caelestis peccata uestra . Si autem non  
remiseritis . nec pater uester dimittet peccata uestra . Videte ergo  
fratres quod cum dei gratia in nostra potestate positum est . qualiter  
a iudice deo iudicemur . Ait enim . Si dimiseritis . dimittetur  
uobis . Nemo se igitur seducat . quia quicumque in hoc mundo  
etiam unum hominem odio habuerit . quicquid in bonis operibus  
obtulerit . totum perdere non dubitet . quia scriptum est ; Qui fra  
trem suum . odit homicida est . Fratrem hoc loco . omnem homi  
nem christianum oportet intelligi . Omnes enim in christo fratres sumus .  
Nemo ergo sine caritate de uirginitate . nemo de elymo  
sinis . nemo de i' e' uuniis . nemo de orationibus confidat .  
quia quandiu inimicitiam in corde tenuerit ; neque istis  
neque aliis quibus libet operibus bonis placere sibi deum pote  
rit . Sed si uult propitium sibi deum habere . non dedignetur  
consilium bonum audire . audiat non me . sed dominum iesum .  
Si offeres inquit munus tuum ad altare . et ibi recordatur  
fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te ; relinque  
/16v/ ibi munus tuum ante altare . et uade prius reconciliari fratri tuo . et  
tunc uenies offeres munus tuum . Sed dicit aliquis ad hęc . Gran  
dis labor est inimicos diligere et pro nocentibus exorare . nec  
nos negamus fratres quod non paruus labor est in hoc seculo . sed  
grande premium erit in futuro . Pro amorem enim hominis inimici .  
efficiaris amicus dei . et non solum amicus sed etiam filius . sicut  
ipse dicit . Diligite inimicos uestros . et benefacite his qui uos  
oderunt . Ac si dixisset . et uos diliget deus . Unde rogo uos  
fratres . ut quantum possimus cum dei adiutorio ad patientiam et ami  
citiā inimicorum . cor nostrum p̄paremus . et in omnibus malis ho  
minibus . medicorum mores agere studeamus . et non ipsos homines .  
sed ipsorum malitiam odio habeamus . pro bonis oremus . ut semper  
ad meliora conscendant pro malis . ut cito ad emendationem

uite et penitentie medicamenta confugiant . Quam rem orantibus  
nobis et sancto stephano . prestare dignetur saluator mundi cunc  
tis gentibus . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat . in secula  
seculorum . amen.